


Q.K.
398,
10.

II
n
3790

OTTONIS
COGNOMENTO TARENTINI
DVCIS BRVNSVICENSIS
VITA
ET
RES GESTAE.



BRVNSVIGAE
APVD VIDVAM B. LVD. SCHROEDERI


M DCC XLVI.



СИ САЩО
ИТИАТАН
ДНЕС БРУНСАГЕТ
АТИ
БРАНСАГЕ

БРУНСАГЕ

ЛІБІДІЯ ВІД ПАМЯТІ АНАСТАСІЇ



OTTO, dux brunsvicensis, quem ab acquisi- Ottonis
to in Italia Tarenti principatu tarentinum laudes.
cognominant, miles generosus, statura pul-
cher, et admodum strenuus in armis piae-
dicatur in vita Gregorii IX. p. r. ap. BA-
LVIZIVM tom. I. papar. auenionens. pag. 433. et ab ipso
Gregorio in epistola ad Philippum Tarenti principem:
multum prouidus et magnificus, aliasque virtuosus fa-
ma celebri reputatus, ap. RAYNALDV M. in contin.
annual. Baroni. tom. 16. p. 5H. Quadraginta pugnis vi-
etorem extitisse scribit THEODERICVS A NIEM lib.
I. de schismate cap. 24. Amplius laudes eius persecutus
est MEIBOMIVS in notis ad bullam Andronici p. 208.
seqq. opuscular.

Patrem eius fuisse Henricum, ex ducibus brunsi- Parentes.
censibus grubenhagicae stirpis, Henrici mirabilis fili-
um, ob itinera in orientis regiones suscepta, de Grae-
cia nominatum. ENGELHVSIVS in Maderi antt.
brunsvicens. p. 177. testatur, et praeterea omnes con-
sentunt. De matre dubitatum est. Helenam, s. vt

4 OTTONIS DVCIS BRVNSVIC.

LEZNERVS BÜNTINGIVS que Hedwigim, Wolde-mari brandenburgensis marchionis ex ascenia stirpe filiam, nominat BOTHO p. 376. *chronici*. Enim uero Waldemarus natus est circa annum 1285. vxorem duxit a. 1310. quod non quidem iniunctis, probabilibus tamen argumentis ex IACOBI PAVLI GVNDLINGII *histo-
ria brandenburgensi* MS. docetur in den Anmerkungen
über die teutsche Reichs-Sachen. Berol. a. 1741. editis
p. 73. 83. et a cel. GEBHARDI in marchion. aquilonaribus p. 150. Vix itaque Waldemarus auus fuisse dici
poterit principis circa a. 1320. nati; praesertim cum
Bothonis fides non semper indubia sit. Mea autem sic
coniectura fert, errasse eum in nomine principis, et
matrem Ottonis nostri filiam fuisse S. Hermanni longi
S. Alberti III. marchionis, quale peccatum memoriae
ab aliis quoque admissum obseruat idem GEBHARDI
pag. 174.

Nihilo certiora afferuntur de altera, quam Henrico
tribuunt, vxore, quare nec ex ea natum Ottonem af-
firmare possumus. Mariam Cypri reginam appellat
Botho, sed stemmata regum Cypri ignorant, nisi dicam
us Mariettam Hugonis III. filiam secundis nuptiis
Henrico collocatam. Primum enim Aethono regi Ar-
meniae nupserat. vid. STEPHANI LUSIGNANI *cho-
rographia e breve historia dell' Isola di Cipro*, Bononiae a. 1573. in 4. editam, fol. 77.

Enim uero dubia omnia sylulis videtur IO. GEORGIVS ECCAR-
DVS, cum p. 15. libri: Erklärung eines alten Kleinodien-Kästleins,
te-
statur, se inuenisse literas datas Osterrodanis a. 1340. ab HEILEWI-
CHI DVCISSA de BRVNSVIC, AVREAE MARCHIAE DOMINA,
cuius sigillum arma, et brunsvicensia et cyprica ostentet. In aprico igitur
effe

VITA ET RES GESTAE.

5

esse putat, Henrico de Graecia non nisi unam fuisse vxorem, Hedwigim nomine, ex Cypro, cuius pars aurea Marchia, oriundam, errorem autem de priore eius vxore brandenburgica ex eo ortum, quod loco aureae marchiae, antiquam forte substituerent lectores imperiti. Non una sunt, quae fidem huius asserti suspensam tenent: certe, nisi documenta ipsa inspiciantur, et ex iis planum fiat. Heilewichin Henrici nostri, non alterius eiusdem ducis brunsvicensis vxorem fuisse, id mihi quidem vehementer recipere videtur dubitationem. Etiam si autem id damus Eccardo, non sequitur inde, erronea esse, quae de Henrici coniuge priore brandenburgica afferuntur. Praeterea in eo plane fallitur Eccardus, quod vulgari errori de obitus Henrici anno, 1337mo nempe patrocinium in chartis allegatis quaerit, quippe quem superfuisse a. 1340. et 1344. monumenta, et ea partim quoque Osterrodana, testantur.

Natum fuisse Ottонem a. 1307. communī consensu Annus tradunt recentiores historici. Dubitauit de eo LEB-natalis, NITIVS p. 10. introd. ad tom. 2. rer. brunsvicens. et testimonium mox adferetur, Ottонem a. 1339. iuuenem dici, quod ad virum 32. annorum non quadrat. Praeterea erronea quadam hypothesi innititur illa opinio. Scribit nimirum THEODERICVS A NIEM lib. I. de schismate c. 44. Raymundus de Baucio erat potens ope-
re et sermone in eadem Apulia, sed partem dicti regis non souebat, sed Clementi ac duci ardegauensi adhaerebat, licet praedictus eius genitor comes nolensis tunc praecipuae dignitatis esset cum rege Carolo, et huic domino Raymundo post obitum Ludouici ducis ardegauensis in Apulia, ut praefertur, eiusdem ducis exercitibus adhaesit, quique demum defuncto eodem domino Ottone principe tarentinensi, et in principatu tarentinensi suc-
cessit, quem idem dominus Otto post ipsius liberationem a captiuitate recuperavit, ET IN TERRA FOYE IN

A 3

APV-



6 OTTONIS DVCIS BRVNSVIC.

*APVLIA DECESSIT, AGENS IVNC ANNVM O-
CTVAGESIMVM.*

Postrema haec verba de Ottone intellexit MEIBO-
MIVS l. c. p. 197. 207. ad annum 1387. retulit, et calcu-
los inde subduxit; quem secuti sunt reliqui. Evidem
eadem verba ad Raymundum potius videntur referen-
da, quippe de quo integra illa narratio Niemii agit,
saltem anno 1387. alliganda non sunt. Nam ipse Nie-
mius Ottonis in sequentibus libri sui capitibus aliquo-
ties meminit, et a. 1392. superfluisse eundem postea pla-
num fiet: potius ergo est, ut anno circiter 1320. natum
principem nostrum credamus.

An Aetatem fere in Italia consumit. Sunt qui nar-
Eichsfel. rant, antequam eo abiret, patriae ditionis partem,
diam alie- Eichsfeldiam nempe, sedi moguntinae vendidisse. Ita
nauerit? ENGELHVSIVS p. 1132. chron. BOTHO p. 376. SER-
RARIVS lib. 5. rer. mogumin. p. 859. HEINECCIVS
lib. 4. antt. goslariens. p. 341. aliquique plures. Ast pro-
tectus est in Italiam Otto patre superstite. Nullum igi-
tur filio ius terras patris alienandi.

Gesta Ot- Primam, quantum scio, Ottonis mentionem in I-
tonis a. talia facit Petrus Azarius, laudatus BENEVENTO
1339. SANGEORGIO comiti blandratensi, in *bistoria mon-*
tisferratensi, italice edita, et *tomo 23. scriptor. italicor.*
Muratorii recusa, p. 468. Is enim de Iohanne mar-
chione Montisferrati ad a. 1339. scribit: *dum terram ip-*
sam (Strambinum) dictus Marchio viriliter expugna-
ret, d. marchio de Busca magnus nobilis marchionis
mortuus in ipsa terra fuit, et D. OTTO DE BRANS-
VEICH IVNC IVVENIS, grauiter vulneratus. Et in
libello de bello canapiciano tom. 2. diarrii italicici, galle-
ria



DIVITA ET RES GESTAE

7

ria di Minerva dicti, p. 408. idem factum his verbis narrat AZARIUS: Otto de Brunswick sauciatus, dum opidum prae ceteris dimicans ingreditur: et p. 410. subsequit die a praesidiariis arx (Calusenum) dimissa, quam una cum oppido marchio Ottoni de Brunswick ieruandam tradidit.

A. 1345. iterum ad latus Iohannis marchionis fortiter dimicauit Otto, cum ille Renfortiam Dagum, seneschallum neapolitanum, guelfis auxilio venientem et Gamenatiam urbem marchionis obsidentem, cruento proelio vinceret; de qua re carmen gallicum vetustum legitur *tom. 23. rer. ital. Muratorii pag. 485.*

Porro monumenta publica testantur, Ottонем, quem *virum magnificum* interdum appellant, adfuisse Iohanni montisferratenſi, cum is a. 1346. marchionem Saluciarum de feudis quibusdam inuestiret, a. 1347. cum oppidi Valenciae ciues Iohanni se subiicerent, a. 1349. cum laudum, quod Iohannes Vicecomes archiepiscopus mediolanensis, de dissidiis eiusdem marchionis cum Amadeo et Iacobo comitibus Sabaudiae tuleraſt, a partibus ratum haberetur, et vi eius dimidia pars Eporedii traderetur montisferratenſi, hic ciuitatis iura confirmaret: deinde a. 1351. cum Cafalis ciuitas marchionem dominum adſciceret, et priuilegiorum confirmationem obtineret. Singula haec legere est in *BENEVENTI SANCTORII historia montisferratenſi p. 488. 493. 498. 507. 511.*

A. 1352. Otto quidam dux brunſuicensis Henricum Litera cum Lancastriae ducem ad duellum prouocauit, iniurias duce Lan vindicaturus: vtroque Lutetiae ad pugnam parato, castriæ Iohannes rex Galliae litem amice compoſuit. Landum regis,



8 OTTONIS DVCIS BRVNSVIC.

regis, vbi facti series prolixo enarratur, edidit LEIB-
NITIVS tom. 2. *rer. brunsvicens.* pag. 47. seqq. et in in-
non fue-
runt Otto-
ni tarent.
troductio coniectauit, de Ottone tarentino sermonem
in eo esse. Sed obstat testimonium Petri de HEREN-
TALS, qui in chronicō per BALVZIUM in notis ad
vitas papar. auenionens. tom. 1. pag. 1130. adducto, ex-
pressim scribit: *Tempore dicti Iohannis regis Fran-
ciae, cum OTTO FILIUS MAGNI DVCIS DE
BRVNSWICH pro quibusdam verbis a duce Lanca-
striae filio regis Angliae sibi impropereatis, cum eodem
Parisius ad je purgandum voluisset duellasse, et cum iam
ambo armati in dextrariis peruenissent ad locum duelli,
tam viriliter ad duellandum se disposuerunt, quod rex
Franciae praedictus compatiens utrque, eos compescer-
it, et duellum intercepit.* Fuit igitur Otto ille, non
tarentinus noster, sed filius Magni; quod nomen cum
ignotum esset ei, qui apud HENRICVM KNYGHTON
lib. 4. *de euentibus Angliae* pag. 2603. literas Ottonis
prouocatorias siue transtulit ex latino, siue confinxit
plane, MAGNI DVCIS BRVNSVICENSIS e-
logium Ottoni tribuit, ex literas ita exorsus est: *Othes
par la grace de deu duc de Bronneswik seignour de To-
rynge, fiz al grant duc de Bronneswik.* Genuit autem
Magnus pius filium Ottonem, quem BOTHO pag.
375. periisse scribit: *in welschen landen*, scilicet Galliam sive
Italiā inueniens, isque ob Sangerhusam in Thuringia a
patre possessam, dominus Thuringiae dici quodammodo
potuisset, in qua nihil iuris Ottoni tarentino.

Quidquid interea de huius in patriam itineribus
eorumque pompa proferat LEZNERVS in chronicō
reithmeieriano p. 538. 39. Ego persuasum habeo, hunc
prin-

VITA ET RES GESTAE. 9

principem Italia non esse egressum. Comitatus vero est Carolum IV. romanorum regem Romanam profici-^{a. 1354.} scentem ad accipendam imperii coronam, et adfuit se-
nis inuestiturae Dondacii de Maluicinis a. 1354. vid. li-
terae tom. 10 *reliquior. ludewigianar.* p. 179. postea a.
1355. Pisis, cum imperator exemplo satis memorabili
Iohanni marchioni montisferratensi potestatem scripto
faceret, velutne parere iis, quae ditionem Galeacio-
rum, marchionis hostium, transiens fortassis manda-
turus sit, neque enim imperatorem velle, vt huiusmo-
di mandatis marchioni vel obsequii necessitas impona-
tur vel detrimentum fieret: ex quo colligi potest, pa-
rum Caroli IV. codicillis fidendum esse, quales ingenti
numero concessit quidem, sed seruari noluit: vid. SAN-
GEORGIVS pag. 530. Deinde inter testes nominatur
Otto in litteris itidem Pisis datis, quibus imp. Iohan-
nem montisferratensem de feudis ab imperio romano
pendentibus inuestit, ap. LÜNIGIVM tom. I. eod. di-
plom. Italiae p. 1354. et in priuilegio per Carolum IV.
Romae morantem norimbergensibus concessso, ap.
FRITSCHIVM in addit. ad I. P. Limnaei lib. 7. c. 35.

Redux cum marchione, RIDDAGVM FRA-^{1357.}
TREM secum habuit, eiusque literas in ciuitate asten-
si a. 1357. datas suo sigillo firmauit, in quo duo leo-
pardi visuntur. vid. MEIBOM. ad bullam Andronici ^{Sigillum}
Opuscul. Ottonis p. 196. in opuscul.

Eodem anno 1357. mille germanos stipendio con-
duxit Otto, qui duetu Conradi comitis laudensis aduer-
sus Galeacios Mediolani dominos pugnarent: a. 1362. de ^{1362.}
pace cum mediolanensibus tractauit, Iohannis marchio-
nis iussu, sed irrito conatu: a. 1366. adstitit inuestiturae, 1366.

B

quam



IO OTTONIS DVCIS BRVNSVIC.

quam idem marchio comitibus blandratensibus Iacobo, Alberto et Bartholomaeo concessit, et in literis *illustris viri* elogio compellatur, vid. SANGEORGIVS pag. 533. 547. 551.

1372. A. 1372. quaerebatur maritus Mariae armeniorum reginae, qui regnum eius contra irruentem turcarum vim defenderet, nec Ottone nostro dignorem inuenit Gregorius IX. p. r. *Diuersis magnatibus et partibus mentaliter perlustratis*, scribit Philippo tarantino, *occurrit nobis dilectus filius nobilis vir Otho dux de Brunswich, de genere imperiali Othonum de Saxonia, consanguineus dilecti filii nobilis viri Ioannis marchionis Montisferrati, cuius guerras strenue gessit et gerit, et etiam CONSANGVINEVS REGALIVM CYPRI, CVVS OTHONIS FRATER HABET IN CONSORTEM MATREM CLARAE MEMORIAE PETRI REGIS CYPRI, a quibus regalibus et fratre propter vicinitatem utilia posset subsidia obtainere etc.* ap. ODOR. RAYNALDV M in coniin. annal. Baronii d. a. n. 32. tom. 16. p. 511.

Balthasar
frater Ot-
tonis. Per fratrem Ottonis indicari existimo in hisce li- teris, donec certiora edocear, Balthasarem, qui, post quam a. 1364. adfuit Pragae inuestiturae caesareae Vgholotti et Raymundini Soraneae marchionum, testibus literis in LVNIGII cod. diplom. ital. tom. 2. p. 538. in Cyprum fortassis abiit, reginam viduam duxit, ea mortua ad fratrem Montemferratum venit, quamuis

Eius
uxor Cy-
pri regi-
na. Cypri annales de eo fileant. Quaenam vxor eius hic memorata fuerit, dubium aliquatenus est. Nisi Hu- pri regi- goni IV. Cypri regi duas tribuanus coniuges, quod per historicorum silentium fieri vix potest, mater Petri cuius

VITA ET RES GESTAE. II

cuius Gregorius mentionem facit, dicenda erit vidua Petri I. mater Petri II. s. Petrini regis. Eam LEONORAM, filiam Petri principis Arragoniae, Iacobi II. regis neptim appellat STEPHANVS LUSIGNANVS in *chorographia Cypri* fol. 58. 77. et in suspicionem adulterii venisse, sed absolutam, marito licet indignante, narrat pag. 57. Contra *iesuitae antuerpienses in notis ad Petri Mazzarri vitam S. Petri Thomasi, tom. 2. actor. ss. mens. Ianuar. p. 1002.* hanc quidem Leonoram nupsisse aiunt Hugoni IV. regi, Petri autem vxorem p. 1005. nominant Echinam filiam Rupini comitis Montfortii, idque ex *BZOVII annal. ad a. 1342. n. 23.* probari posse existimant. Enimvero Bzouius afferit quidem ex epistolis Clementis, pontificem indulsisse Petro Lusignano, Hugonis regis filio, ut Helias nicosiensis episcopus ipsi concedere possit matrimonium cum Echina montfortia, exinde autem non consequitur matrimonium vere fuisse contractum; nec Lusignano propterera fides erit neganda.

Reuertamur ad Ottонem. Is matrimonium cum regina Armeniae non contraxit, sed regimen marchionatus Montisferrati paulo post adeptus est. Obiit enim anno 1372, Iohannes marchio, postquam testamento tutorem filiorum, donec 25. aetatis annum impleuerint, Ottонem ducem scripsisset, et vt omnia, nuptiae quoque filiae, eius consilio agerentur, iussisset. Legauit praeterea duci castra quaedam antea iam tradita, porro pecuniae summam, pro qua ciuitates Albensis et Montisucci obligatae erant, iussitque, ut dux coniunctim cum filiis marchionis astensem ciuitatem et vicariatum imperii in eadem et eius ditione administraret, partem

1372.

Ottotutor

march.

montis-

ferrat.

B 2

quo-



12 OTTONIS DVCIS BRVNSVIC.

quoque regni Thessaliae et imperii graecorum, vel regnum etiam integrum, si quidem illud vindicare posset dux et marchiones iuuenes, ipsis legauit. Recitabo verba testamenti haec confirmantia ex Sangeorgio:

Item voluit et ordinavit quod illustris d. Margarita eius filia nubat et maritetur per dictum d. n. Papam cum consilio illustris Elisabet consortis suae, matris ipsius d. Margaritae, et cum consilio illustris d. ducis brunsvicensis etc.

It. voluit et ordinavit, quod ill. consanguineus et frater suus carissimus, d. Otto dux brunsvicensis etc. habeat omnia et singula castra et loca eidem alias donata, assignata, et deputata per d. d. Marchionem, videlicet castra et loca Verolengi, Caluxii, S. Raphaëlis, Caßagneti, Vulpiani, et Brandiciti, cum pertinentiis et iuribus ad ipsum d. Marchionem pertinentibus in eisdem, et ipsa omnia et singula sibi iterato confirmavit per praesens testamentum.

It. legauit et reliquit praedictis d. duci, Ioanni Theodoro, et Gulielmo aequalibus portionibus, restam quam habet super ciuitate Albae et super loco Montisucci, quae resta detractis supra scriptis sex millibus florenorum, qui iam deputati sunt ad constructionem dicti monasterii est florenrum viginti millia. Et voluit et ordinavit, quod de marchionatu praedicto per dictum secundotum dentur floreni sex millia praedictis d. duci, Ioanni, Theodoro et Gulielmo. Et voluit et ordinavit quod de redditibus Aſt dentur praedictis alii floreni sex millia, et sic erunt super totum floreni triginta duo millia, quas praedictis d. Duci, Ioanni, Theodoro et Gulielmo aequaliter legauit et reliquit ut supra: tali modo, quod in dictis florensis, illi ex eis qui superiuident alios ex praedictis, sibi aequaliter succedant ad inuicem.

It. voluit, ordinavit et instituit ac reliquit in tutorem et curatorem praedictis Ioanni, Gulielmo et Theodoro, et cuiilibet ipforum in omnibus suprascriptis et infrascriptis, praefatum d. Ottonem ducem brunsvicensem, ita et tali modo, quod ipse possit res et bona praedictorum Ioannis, Theodori et Gulielmi, et cuiuslibet ipforum, in toto vel in parte vendere,

vendere, obligare, infundare, inuestire, reuestire, confirmare et transferre, et alia omnia bona et negotia, res, iura, emolumenta, et redditus ac obuentiones quascunque administrare, regere, donare, transmutare et remittere, ac merum et mixtum imperium et iurisdictionem omnimodam et gladii potestate exercere et committere et delegare et alia quacunque facere sicut ei placebit ad eius liberam voluntatem. Et quod ipsi vel eorum aliquis non possint se de praedictis intromittere quous modo, quousque pervenerint ad aetatem legitimam viginti quinque annorum pro quolibet ipsorum. Et quando quilibet ipsorum attigerit ad ipsam aetatem, remaneat et sit in libertate et potestate sua iuridica contrahendi et administrandi; eo tamen salvo, quod toto tempore vitae dicti d. ducis, iubet et vult ipse d. Marchio, quod dictus d. dux sit ipsorum, et cuiuslibet eorum, superior et magister, et quod possit de castris, bonis et rebus ipsorum, dum vixerint disponere et facere pro libito voluntatis. Liberans et absoluens ipsum d. ducem ab inventariis seu inventariis confectione, et ab omni ratione vel comperto reddendo de administratione et negotiatione praedictorum omnium, vel aliiius eorum, et ex nunc idem testator quacunque continget in praedictis et circa praedicta fieri per dictum d. ducem, tam post tempus et tempora dictarum tutelae et curae, quam ante, vult et iubet idem d. marchio valere et plenam firmitatem habere, et ipsa omnia et singula approbat et confirmat.

It. cum regnum et ciuitas salonicensis, quae per illustrem quondam d. Gulielmum marchionem Montiserrati donata fuerit quondam Serenissimo principi d. Andronico imp. graecorum pro dote et nomine doris illustris d. Violantis filiae dicti quondam d. marchionis Gulielmi, maritatae iudicium d. imp. ex quo idem imp. genuit ill. principem D. Theodorum patrem ipsius testatoris, et filium unicum dictum d. Violantis, totaliter et immediate de iure pertinet ad praedictum d. marchionem testatorem praedictum, filium unicum dicti d. Theodori quondam. Cumque imperium praedictum graecorum, videlicet Cpolitanum et Romaniae de iure pertineret ad eundem d. Theodorum filium d. domini imp. per testamentum factum per d. imp. Andronicum etc. quod illi ex praedictis quatuor filiis suis et dicto d. Ottone qui interentur

14 OTTONIS DVCIS BRVNSVIC.

conquestae et acquisitioni praedictorum imperii et regni, vel alterius ipsorum, vel partis eorum, illa quae de praedictis acquirent, subiugabunt, conquestabunt, et de manibus impiorum detinentium amputabunt, sibi communicetur, et aequaliter diuidant inter ipsos. Quos ex praedictis quinque sic conquerantes et acquirentes ipse d. marchio testator praefatus cum beneplacito et consensu d. n. papae sibi indicatis imperio et regno heredes instituit, et ad inuicem substituit aequalibus portionibus, prout supra eo tamen salvo, quod se unus tantum ex filiis ipsius testatoris accederet ad conquestum praedictum, et dictus d. dux esset cum ipso, et cum dei gratia ipsi ambo subiugarent et conquestarent dictum imperium et dictum regnum eo casu ille filius dicti testatoris, qui esset ad praedicta, habeat dictum totum imperium, et dictus d. dux habeat dictum regnum, et sic ipsos dicto casu heredes instituit in praedictis etc.

It. cum ciuitas Astenis cum districto, pertinentiis et ciuibus suis fuerit per serenissimum d. n. d. Carolum imp. rom. s. a. et Boemias regem, tamore proprio et facie ad faciem, quam per privilegiorum praceptionem tradita et concessa in vicariatum praedicto d. marchioni pro se et suis heredibus in perpetuum, ipse d. marchio dictam ciuitatem Ast cum districto, pertinentiis etc. - - - legavit et reliquit communiter et indiuisibili-
ter tam in ciuitate quam in redditibus omnibus et officiis quibuscunque, secundotto filio suo primogenito, et d. Ottoni duci iam dicto, et Ioanni, Theodoro et Gulielmo filiis suis, ita et taliter, quod ipsam ciuitatem Ast cum omnibus supradictis ipsis quinque simul et pro indiuiso perpetuo aequaliter habeant, regant, gubernent et custodiant. Et ipsos quinque, quantum sua interest et de iure potest, sibi simul et coniunctim ac pro indiuiso, ut supra, heredes instituit, et ad inuicem sibi ipsis substituit. - - -

Cui Secundotto dedit, instituit et reliquit in tutorem et curatorem praefatum d. ducem in omnibus et per omnia sicut supra in uno capitulo cum instituit et reliquit praedictis Ioanni, Theodoro et Gulielmo, nihil addito, minuto, vel mutato, nisi sicut stat dictum capitulum usque in finem ipsius etc.

IUS



Ius in regnum Thessaliae s. thessalonicense, cuius *Monte.*
 hic meminit Iohannes, vt plenius intelligatur, obser- *ferrat. ius*
uandum est, armis id regnum occupasse Bonifacium in regnum
marchionem Montisferrati, cum venetos et Balduinum Thessa-
ex expeditione byzantina iuuaret, idque ipsi per eun-
dem Balduinum, imperatorem factum, eiusque fra-
trem et successorem Henricum, confirmatum fuisse.
Bonifacio in eodem successit senior filius Demetrius,
qui a Theodorico lascari electus, testamento legauit
regnum Friderico II. imp. hic ius in Bonifacium, De-
metrii ex fratre nepotem, marchionem montisferra-
ensem, transtulit. vid. SANGEORGIVS pag. 364. 65.
67. 84. Guilielmus Bonifacii filius in dotem dedit Vio-
lantae filiae Andronico imp. nubenti, ceu memo-
rat Iohannes.

Otto nosfer, suscepta tutela et regimine, de
 pace egit cum Galeacio Vicecomite. Hic conditio-
 num praecipuam voluit, vt ciuitas astensis ipsi tradere-
 tur, quam iniquam existimans Otto, Auenione contie-
 nit Gregorium IX. pontificem nuper creatum, cumque
 hoc, et postea cum Amedeo Sabaudiae comite foedus
 contra Galeacium pepigit a. 1372. ciuitatem quoque
 astensem armis strenue defendit. v. SANGEORGIVS
 pag. 588. 591.

Anno dein 1374, Galeacium ab obsidione vercel- *1374.*
 lensis vrbis repulit. v. RAYNALDVS in annal. ad a.
 1374. n. 15.

Vicariatum astensem filiis et Ottoni legauerat Io- *Vicaria-*
 hannes marchio, vt vidimus: confirmauit eundem *tus asten-*
 Carolus IV. imp. his tabulis a SANGEORGIO p. 592. *sis.*
 editis:

16 OTTONIS DVCIS BRVNSVIC.

In nom. S. et iindiud. trinitatis feliciter amen. Carolus quartus diuina fauente clementia rom. imp. semper augustinus et Boemiae rex, ad perpetuam rei memoriam, illustribus Secundotoni marchioni Montisferrati ac fratribus eius, et Ottoni duci brunsvicensi filio quondam illustris Henrici ducis ibidem, principibus et consanguineis nostris dilectis, gratiam caesaream et onus bonum. Incumbentibus nostrae celstudini assiduo varietatibus negotiorum iunioris, dum pro felici statu reip. mens nostra hinc inde distractabitur, dignum nostra serenitas existimat et fore necessarium arbitratur, ut qui tot regionibus nobis commissis personaliter adesse non possumus, fideles nostros fide et circumspectione probatos in partem nostrae felicitudinis statuamus. Sane cum piae recordat: quondam ill. Iohannis Marchionis Montisferrati, vestri Marchionis et fratrum genitoris, et tui ducis immotam fidei et devotionis constantiam et indefessi laboris follititudinem, quibus ipse et Tu in nostris et imperii sacri procurandis honoribus multipliciter clarus sis, nostrae mentis oculis attentius intuemur; dumque diligent nec non et gratuita consideratione pensamus, quod vos Marchio et fratres de tam generosa stirpe descendentes, eiusdem vestri genitoris laudabilis sequendo vestigia nobis et s. rom. imperio nonnullis virtutis et utilibus actibus, et prout non ambigimus constanter puritate fidei poteritis et debetis complacere plurimum temporibus futuris. Tanto vtique ad vestri status et felicitatis augmentum ampliori inclinamur fauore, quantum id ipsum praedicti Marchionis quondam, et tui ducis clara probitas et virtutum insignia praestantius meruerunt. Volentes igitur praemissorum intuitu vestri status felicitatem clementi praeuenire respectu, deliberato animo, sanoque principum baronum et procerum nostrorum ac imperii accidente consilio, de certa nostra scientia et imperialis potestatis plenitudine. Vos omnes coniunctim et pro iindiuiso, et tui Marchionis heredes masculos legitimos in stirpem et successores Marchiones Montisferrati, in ciuitatibus Asteni albensi et loco nostro Montisucci, et ipsorum et cuiuslibet earum terris, castris, villis, locis, dominis, communitatibus, posse, territoriis et districtibus ac pertinentiis, iuribus et iurisdictionibus uniuersis ad ipsas et earum quamlibet pertinentibus, ordinamus, facimus et constituimus nostros et s. rom. imp. vicarios



VITA ET RES GESTAE.

17

rios generales et speciales, irreuocabiles ad tempora vitae nostrae, et post obitum nostrum propitio deo felicem tamdiu, donec per successores nostros romanos imperatores vel reges, expresse ex causa legitima fueritis reuocati. Dantes ex nunc et concedentes vobis et in vos omnes communiter et pro indiuiso ut praemittitur, de imperialis potestatis plenitudine ex certa scientia, transferences plenam, liberam, generalem et omnimodam auctoritatem, jurisdictionem et gladii potestatem, merum et mixtum imperium vice ac nomine nostri, ciuitatibus, locis, districtibus, limitibus atque statibus earundem, per vos vel alium, seu alios, quibus hacc commisritis exercenda. etc.

Testium nomina non adscribo, mendosissime enim expressa sunt. Datae sunt tabulae anno domini MCCCLXXIV. indi&t. XII. octauo idus Decembris. Has a. 1377. ratas habuit Wenceslaus rex romanorum electus, teste eodem SAN GEORGIO p. 596.

A. 1375. mense Septembri Otto sponsalia contraxit cum Iohanna Neapolis regina, et paulo post, ad matrimonium ineundum profectus est Neapolim, vbi sequenti anno 1376. appulit die Martii XXVta. vid. BALVZI vitas papar. auenionens. tom. I. p. 1123. Rediit Montemferratum die Iulii XVIII. sed vix per mensem ibi commoratus, Balthasarem fratrem Neapolim secum abduxit, vid. diarium neapolitanum p. 1038. tomo 21. Muratorii. Dein Tarenti princeps a regina constitutus est, et supersunt literae, quibus eum titulum praecipit. Tascriptis; testis eius rei est, IOH. IVVENIS lib. 7. de renti antiquitate et varia tarentinorum fortuna cap. 3. pag. 1371. Accessit huic principatu a. 1378. ACERRA CI- et comes uitas et comitatus, vid. diarium neapolitanum l. c. Acerree,

C

A. 1377.



18 OTTONIS DVCIS BRVNSVIC.

1377. A. 1377. pax facta est inter Galeacios Vicecomites et Ottōnem ducem suo, curatorio item et tutorio nomine secundi Ottonis, Iohannis, Theodori, Guilielmi, marchionum Montisferrati, et nuptiae Violantae Galeacii filiae secundo Ottoni pactae. Conuenierunt praeterea partes praedictae ad inuicem, quod ill. princeps et dominus, dominus Otto dux brunsvicensis debeat remanere tutor et curator dicti ill. principis domini secundi Ottonis marchionis praedicti et fratrum et terrarum eorum, secundum quod in testamento quondam ill. principis domini Iohannis quondam marchionis Montisferrati dicitur contineri, et quod legata ipsi domino duci et fratribus dicti Marchionis facta in testamento praefati ill. principis domini Iohannis quondam marchionis supra scripti debeat sortiri effectum contra ipsum dominum Secundum Ottonem, sine praeiudicio tamen aliquorum iurium dictorum dominorum magnifici domini Galeaz, et ill. principis domini comitis Virtutum, ita quod praefati domini Galeaz et comes Virtutum se non intromittant. Verba sunt tabularum pacis Papiae datarum d. VII. Iul. a. 1377. quas ex archiuo mediolanensi edidit I. DV MONT in corpore diplom. tom. 2. part. I. pag. 118.

Ast Secundus Otto pactis non stetit, sed gubernationem terrarum, minor licet annis, usurpauit: quo facto matrimonium cum Galeacii filia Papiae consummavit. Redeunti introitum astensis ciuitatis negat
 1378. OTTONIS TARENTINI FRATER (Balthasar ut videtur, quem Neapoli rediisse credibile est) qui ciuitatem regebat, a Galeacio corruptus ut aiunt siue

sive ut res ipsa persuadet, ut fratri iura vicariatus, quorum supra mentionem feci, seruaret.

Quare Marchio iratus, socerum in auxilium vocat, ciuitatem occupat, suis et socii copiis implet, frater autem Ottonis egreditur mens. Februar. 1378. Iam Galeazius nom amplius simulat, et in urbem quam diu concupuerat admissus, praesidium rursus abducere recusat; ne igitur marchioni prorsus eriperet urbem, hic eundem gubernatorem astensem constituit, supremum tamen dominium sibi retinet, salua etiam esse iubet iura imperii romani, Ottonis ducis, et fratrum marchionis, idque in sacramenti formula per ciues astenses iurata cautum fuit. Narrant haec SANGEORGIVS pag. 596. 97. et CAESAR CAMPANA pag. 34. libri: *arbore delle tre famiglie Aledrama, Paleologa e Gonzaga.*

Dum haec ibi aguntur, Otto missus erat per Gregorium p. r. vt pacem cum aduersariis conciliaret. Moritur interea Gregorius et Vrbanus VI. in eius locum eligitur; Otto rebus ex voto peractis Romanam venit festo paschatos a. 1378. praeter spem superbe exceptus per pontificem, cui antea coniunctissimus vixerat. Nihilo secius de tollendo schismate romanae ecclesiae laborauit, iterumque Tibure Vrbanum conuenit; sed huius pertinacia irritos conatus fecit: vid, THEODERICVS ANIEM lib. I. c. 6. 7. 8.

Secuta die XI. mensis Decembbris eiusdem anni caedes Secundi Ottonis, Montemferratum Ottонem nostrum reuocauit. Ibi regimen capessit, tutor quippe

20 OTTONIS DVCIS BRVNSVIC.

Iohannis, qui Secundo Ottoni successerat, et duci omnem potestatem per literas tradiderat, quas ex Sancto georgio apponam:

In nomine domini Amen. Millefimo trecentesimo septuagesimo nono, indieet. 2. die tertio mensis Ianuarii. Actum in castro Montiscalui in caminata magna, praesentibus testibus vocatis et rogatis, nobilibus viris d. Ioanne bastardo de Monteferrato, Simone de Gabiano, Ludouico Turcho, Oddino de Mirolio, Antonio de Braida, Ioannono de Cocastello, Francisco de Cocastello, de Montilio, Nicolello et Martino fratribus et Antonio de Filio, Georgino Scarampo de Camino, d. Ottolino de Ghiselbertis, de Cereseto, Antonio de Siluestro, de Cognato Vicariis, Albertono de Prato, de Montecaluo, Facio de Villa de Clauaxio, Antonio Berruto de Vignali, Marcono della Valle, de Lù et pluribus aliis. Illustris dominus Ioannes Marchio Montisferrati sciens, certificatus et plenarie informatus, quod ill. genitor eius D. Ioannes Marchio Montisferrati quandam in sua ultima voluntate inter cetera disposuit, voluit, et ordinavit, quod ill. princeps D. Otto brunsvicensis dux et auunculus dicti D. Marchionis, sit et esse debeat ipsius D. Ioannis nunc Marchionis praedicti et ceterorum fratrum ipsius ac Marchionatus et Baroniae Montisferrati nec non omnium ciuitatum et loci praedicti et praedictorum, et ceterorum bonorum, rerum et iurum ipsorum, fratrum tutor, curator, gubernator, administrator et rector, cum plena et generali potestate vendendi, alienandi, infseudandi, donandi, contrahendi, disponendi, faciendi et ordinandi de Marchionatu, Baronia, Ciuitatibus, Castris, villis et bonis praedictis, prout et sicut dictus d. dux voluerit et ipsi placuerit, donec dictus dominus Marchio et dicti eius fratres compleuerint vigesimum quintum annum, omni administracione, gubernatione ac potestate dicto domino nunc Marchioni et dictis eius fratribus, usque quo ad complementum dictae aetatis peruerenterint,
penitus

penitus interdicta. Videns et cognoscens ipse dominus Ioannes nunc Marchio, quod ill. frater eius Secundotto Marchio Montisferrati quondam, nolens praediētam ordinationem paternam obseruare, sed ea spreta, Marchionatum, Baroniam et ciuitates, quas dictus pater eorum tempore mortis possidebat et tenebat, propter ipsius iuuentutem ad statum perditionis et subversionis deduxerat, nisi praedicti ill. d. ducis bonitas et clementia tam cito occurrisset. Ecce quod dictus de Ioannes nunc Marchio supradictus, videns pericula ad quae patria deuenerat propter iuuentutem dicti fratris eius ac volens sequi in praedictis omnibus superscriptis et infrascriptis dispositionem et ordinationem dicti eius patris, cognoscendo etiam et propter iuuentutem suam ad regendum et gubernandum se et sua non sufficere, et de illustri auunculo suo praedicto plenissime confidens, in quo habens post deum spem et fiduciam specialem, ex certa eius scientia, deliberate et appensate idem D. Marchio se, Marchionatum et Baroniam, ciuitates et castra, burgos, villas, et territorium Montisferrati, nec non partem suam ciuitatum Ast, Albae, et loci Montis regalis, territorii et districtus dictarum ciuitatum et loci praedicti, et omnia bona et iura, suos et sua, committit, dimittit et relaxat, commisit, dimisit et relaxauit curae, protectioni, gubernationi, administrationi, dispositioni, regimini, ac potestati dicti *ILL AVVNCLIS VI D. DVCIS PRAEFATI*, quo usque ipse D. Marchio compleuerit *25* tum annum. Abdicando ipse D. Marchio a se, et in ipsum D. Duce m transferendo omnem bayliam ac omnitudinem potestatem cuiuscunq; regiminis, gubernationis, administrationis, contractus, alienationis, dispositionis, et ordinationis, et cuiuslibet alterius potestatis, Marchionatus, Baroniae, ciuitatum, castrorum, burgorum, villarum, locorum, bonorum et iurium praedictorum et praedictarum, quo usque dictus d. Marchio compleuerit *vigesimum* quintum annum, ut supra. Et quicquid ipse D. Dux in praedictis et circa praedicta, vel aliquod praedictorum fecerit, statuerit, seu ordinauerit, habeat plenissimam fir-

mitatem, ac promittendo idem D. Marchio dicto D. Duci et mihi Notario, infra scripto, vii publicae personae, stipulanti et recipienti vice et nomine omnium et singulorum subditorum dicti D. Marchionis et omnium personarum, quarum interest, seu interesse poterit in futurum, se non intromittere de praedictis vel aliquo praedictorum, donec fuerit 25. annorum ut praefertur. Quae omnia et singula supra et infra scripta, idem D. Marchio maior annis quatuordecim, minor tamen viginti quinque, promisit dicto D. Duci et mihi Notario infra scripto stipulanti et recipienti ut supra, et etiam iuravit ad sancta Dei euangelia corporaliter tabulis scripturis, attendere et obseruare, et ea non reuocare, ac contra praedicta vel aliquod praedictorum supra vel infra scriptorum non facere vel venire aliqua ratione vel causa de iure vel de facto. Et si contra praedicta vel aliquod praedictorum ipse D. Marchio aliquid vel aliqua fecerit, ordinauerit, vel praeceperit, aut disposuerit, seu facere, ordinare, praecepere vel disponere attentauerit, illud et illa sunt nulla ipso iure, ac nullius valoris seu momenti; volens et iubens idem D. Marchio quod ad eorum obseruantiam minime teneantur. Igitur idem D. Marchio ex nunc dictos prout ex tunc suos subditos, et me Notarium infra scriptum vii publicam personam recipientem vice et nomine ipsorum subditorum et omnium et singulorum, quorum interest, seu interesse poterit in futurum, irrevocabiliter quietat, liberat, quietatur, liberauit et absoluit ab obseruatione eorum, quae ipse D. Marchio praecepiperet, statueret, decerneret, vel faceret sine voluntate et consensu dicti D. Ducis, usque quo perfecte attigerit annos praedictos. Et de praemissis per me Notarium infra scriptum, ipse D. Dux, et ipse D. Marchio fieri praecepérunt publica instrumenta reficienda semel et plurios, si opus erit, consilio sapientis, facti substantia non mutata,

Nec

Nec multo post, die nempe 2da m. Maii a. 1379. 1379.
incolae Montisuci homagium praestiterunt Ottoni, pro
quarta oppidi parte ex testamento Iohannis marchionis
ad eum spectante, deinde etiam tanquam tutori mar-
chionum montisferratensium. Documentum ea de re
conscriptum recitat SANGEORGIVS p. 608.

Prima Ottonis cura fuit, vt astensem ditionem re-
cuperaret, quod cum verbis et iustitiae argumentis
non posset, ad arma conuersus est. Postea Clemente
VII. papa conciliante induciae in biennium placuerunt,
et electi arbitri qui causam diiudicarent. Coram his
Astum repetiit Otto, sed mediolanenses arbitrium elu-
serunt, et quae postea Ottonem exceperunt turbae im-
pediuere, ne iura persequi posset, vid. SANGEOR-
GIVS pag. 600, 604.

Eodem anno 1379. Neapolim reuersus est, et se-
quenti 1380. mens. Septembri possessionem tarentini
principatus occupauit, vid. diarium neapolitanum
pag. 1039. 1041. 1380.

Sunt, qui scribunt, elaborasse eum, vt per Vrbanum
pontificem Balthasari fratri collocaretur Maria heres
Siciliae ultra Pharum, vt tunc loquebantur: sed ii
marchionem Montiferrati cum fratre Ottonis confun-
dunt. vid. THEODERICVS A NIEM l. I. c. 8. GIAN-
NONE mell' istoria civile del regno di Napoli lib. 23.
cap. 4. tom. 3. pag. 246.

Successere dein dissidia inter Vrbanum pontificem
et Iohannem reginam, indeque orta tristiora Ottonis
fata,

24 OTTONIS DVCIS BRVNSVIC.

fata. Causam scriptores fide digni produnt, quod pontifex Ottonem regem appellare, et in regno neapolitano successorem statuere abnuerit. STEPHANVS BALVZIVS *in vitis papar. auenionens. t. I. p. 1124.* testes in hanc sententiam produxit ipse, et a RAYNALDO *ad a. 1378. n. 46.* productos indicauit, nihilo minus totus in eo est, vt fidem eorum eleuet, ne scilicet quidquam superfit, quod ad excusandum Vrbanum vel ex obliquo iuuet. Frustra vt opinor. Argumenta enim eius infirmiora sunt, quam vt autoritatem scriptorum aequallium labefactent, nec incredibile Iohannam dignitate regia ornari maritum optasse: quod cum non obtineret, a. 1380. Ludouicum andegauensem adoptauit, ab Vrbani partibus discessit, confirmationem adoptionis a Clemente VII. Auenione residente impetravit. Tabulas exhibent LEIBNITIVS *in C. I. G. pag. 237.* LVNIGIVS *tom. 2. cod. Italiae diplom. p. 1141. 43. 45.*

Hoc reginae factum neapolitanorum animos adeo offendit, vt pauci eorum Ottonem postea aduersus Carolum sequerentur. GIANNONE *loc. cit. l. 23. cap. ult. pag. 253.*

Vrbanus enim indignatus, regnum Iohanna ab iudicat, et Carolo dyrrachino, ex Vngaria aduocato, confert, quod eodem anno 1380. factum probat RAYNALDVUS *n. 4. b. a.* Carolus ergo regnum inuadens ab Ottone proelio lacepsit. Sed discrimin fugiens Neapolim urbem die 16. Iul. a. 1381. improviso, s. celeritate s. proditione capit, reginam castello cui, quod vocant, inclusam oppugnat, quae fame urgente dedicationem

1381.

tionem promittit, ni intra quinque dies auxilium adsit. Otto de periculo coniugis certior factus, cum exercitu, in quo non contemnendam germanorum manum habebat, in auxilium aduolat, die 25. Augusti d. a. fortissime Carolum aggreditur, sed parte militum maiore pugnam detrectante, capitur ipse, Iohannes autem marchio Montisferratensis occiditur. vid. *diarium neapolitanum* pag. 1042. 1043. **L**AURENTIVS **B**ONIN-
CONTRIVS p. 41. *annal. GOBELINVS* aet. 6. *cosmодrom.* c. 76. **S**ANGEORGIVS p. 610. *histor. montisferr.*
COLLENVTIVS lib. 5. *histor. neapolit.* p. 226. **G**IANNONE loc. cit. pag. 255. Erectus Ottonis in ipsa calamitate animus in eo apparuit, quod ad Carolum adiutus, et quaesitus cur eius regnum inuadere ausus fuerit, impavidus respondit; nihil sibi de Caroli regno constare, regnum autem vxoris defendendum sulcepisse. **T**HEODER. A NIEM l. 1. c. 24.

Balthasar Ottonis frater e proelio evasit quidem, sed deinde captus, Caroli iussu oculis priuatus, non diu superuixit. NIEM c. 23. *diarium neapol.* p. 1046. Regina audita mariti captiuitate Carolo se dedit et eius iussu necata est in ciuitate murenſi, cui propterea Clemens VII. sedis episcopalnis honorem ademit, literis ap. **V**GHELLVM tom. 6. *Ital. sacrae* p. 1037. Famam Iohannae a criminacionibus maleuolorum defendit **G**IANNONE l. c. p. 256. 57.

Liberatum esse post aliquot annos Ottonem, certum est, sed qua occasione, dubium **T**HEODERICVS A NIEM cap. 60. narrat: cum permisso custodum venaretur, interceptum per nautas quasdam anglos, et

D

Aue-

26 OTTONIS DVCIS BRVNSVIC.

Auenionem ad Clementem VII. papam perductum.
COLLENVTIVS p. 226. dimissum ait a Carolo, ea le-
ge, vt regno excederet. **Diarium autem neapolitanum**
pag. 1050. 51. 54. **LAVRENTIVS BONINCONTRIVS**
pag. 44. **annal. GIANNONE** l. 24. p. 265. **CAESAR**
NOSTRADAMVS part. 5. **histor. Provinciae** pag. 491.
et al. in eo conspirant, quod Carolus Ottonem, vtpote
bellicae rei peritissimum consuluerit, quoniam meliori
modo occurreret Ludouico andegauensi, regnum ma-
tris adoptiuae armis vindicanti; Ottonem respondisse:
proelium euitando et bellum trahendo. Quod confi-
lrium cum successu comprobatum fuisse, libertatem
Ottoni redditam fuisse cum multa honoris significacione.
His ego scriptoribus domesticis et partim aequalibus
fidem habeo prae reliquis. Contigisse liberationem Ot-

1384. tonis a. 1384. die 22. April. ipsumque in Siciliam profe-
etum, tradit diarium. Sribit citato loco **BONINCON-
TRIVS**, Tarenti quoque principatum Ottoni fuisse re-
stitutum: quod non videtur. Certe **SAMMARTHANI**
fratres *in historia genealogica domus regiae franci-
cae lib. 17. p. 809.* narrant ex **IO. D'ESCORNAY** *memoi-
res de Dourdan*, Mariam reginam, Ludouici andega-
uensis viduam, eundem principatum permutationis ti-
tulo acquisiuisse, datis pro eo quibusdam terris in Gal-
lia, Iohanni duci bituricensi, eumque contractum per
Carolum VI, regem Galliae a. 1385. fuisse confirmatum.

Quomodounque euaserit Otto, certum est, fuis-
se a. 1386. Auenione apud Clementem VII. ibique cum
Maria regina de expeditione aduersus Caroli viduam
consultasse, quod ex actis obseruat **BALYZIVS** tom. 1.
papar.



papar. auen. p. 1258. 1354. Rediit eodem anno mense Nouembri in regnum neapolitanum, ibi imperator exercitus andegauensis creatus, et cum aliis proceribus ad statum regni conseruandum: *per lo buono stato del regno*, deputatus, a. 1387, in urbem Neapolin admisus ^{1387.} est. vid. *diarium p. 1054.* quamuis ibi Otto Sanseuerinus nominetur, errore scriptoris manifesto, **GIAN-**
NONE l. 24. c. 3. p. 276. tom. 3.

Ibi memorandum clementiae documentum dedit: vindictam enim ab iis, qui antea contra ipsum steterant, sumi prohibuit. **THEODER. A NIEM** l. 1. c. 65. **RAY-**
NALDVS d. a. n. 2. Postea urbem ab hostibus obfes-
sam et inopia laborantem strenue defendit, crebris eru-
ptionibus annonam inuehendo. *Diarium pag. 1056. 57.*
Postquam autem Ludouicus II. regnum suscepisset, et gallum quendam proregem constitueret, isque Otto-
nem tractaret indigne, hic ad partes dyrrachinas transiit,
spe nuptiarum Margaretae reginae inductus, vt aiunt
RAYNALDVS a. 1388. n. 5. et **BZOVIVS** eod. a. n. 1.
minus quidem probabiliter: vid. *diarium pag. 1057.*
GIANNONE p. 280. A. 1388. vt ab obsidione urbem ^{1388.}
Capuae liberaret, frustra tentauit; postea in Apuliam
secessit, vid. *diarium p. 1058.* **BONINCONTRIVS** p.
50. *annal.* A. 1389. Ottoni tarentino, Vrbani pontificis
mortem nunciauere cardinales, ceu ex archiuo romano
notauit **RAYNALDVS** d. a. n. 10. tom. 17. *annal. p. 142.*

A. 1392. in velitatione quadam captus Otto noster, ^{1392.}
comitatum acerranum vendidit, vt lytrum solueret: vid.
diarium p. 1062. **BONINCONTRIVS** pag. 61. Eodem
anno d. 25. Iul. Theodorus marchio Montisferrati, suo

D 2

et

QA Th. 3 740

28 OTT. DVC. BRVNSV. VITA ET RES G.

et fratri Guilielmi, nec non Ottonis brunsvicensis nomine, homagium ab incolis Montisuci recepit solenniter: vid. SANGEORGIVS p. 628. 29. nec vterius mentionem Ottonis tarentini reperi.

De Otto- Patet autem ex his error eorum, qui a. 1387. mor-
nisi anno tuum eundem existimant, cuius fontem antea iam de-
emortua- texi. Emortalis annus definiri nequit. NOSTRADA-
li. MVS quidem pag. 494. bistor. Prouinciae annum 1393.
nominat, sed vacillans ita, vt p. 497. opinioni iam pro-
fligatae accedat.

Liberi e- Prolem non suscepit Otto, quantum ex fide di-
ius nulli. gnis scriptoribus constat. Nam Botho, qui filiam ipsi
tribuit HELENAM, regi cuidam Cypri elocatam, eo
minus fidem meretur, quod in regum Cypri stemmate
Helenae huius mentio non fit, et reprehensis iam
est a MEIBOMIO pag. 216. 17. ad bullam
Andronici.

X 238 0385



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

FarbKarte #13

Cyan


Blue



G.K.
398,
10.

Hn
3790

OTTONIS
COGNOMENTO TARENTINI
DVCIS BRVNSVICENSIS
VITA
ET
RES GESTAE.



BRVNSVIGAE
APVD VIDVAM B. LVD. SCHROEDERI

M DCC XLVI.

